



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

XXVIII [i. e. XXIX]. Quòd judiciarius vigor gratis sit omnibus exhibendus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

# Innocentij III. Romani Pontificis. 587

inter infames, quasi ex falso testimonio,  
non habentur.

## TITULUS XXVIII.

Si quis deficiat in exceptione probanda.

Cap. 5. de dolo  
& contum.

**F**inem litibus cupientes imponi, ne partes ultra modum graventur laboribus & expensis, præsertim cum de beneficiis & officiis ecclesiasticis litigatur, quæ sine dispensio diu vacare non possunt, præsenti decreto statuimus ut postquam intentionem suam altera pars fundaverit, si reliqua fortè voluerit legitimam exceptionem opponere, quam nolit aut nequeat in continenti probare, quia frequenter ad impediendum vel differendum processum exceptiones hujusmodi per excogitatum maliciam opponuntur, ad solvendas alteri moderatas expensas ex tunc in judicio faciendas, cum acceptis induciis in probatione defecerit, condemnetur; & si solvendo non fuerit, alias secundum arbitrium discreti judicis puniatur; ut hoc saltem timore perterritus non facilè quis in gravamen alterius falsas exceptiones opponat.

## TITULUS XXIX.

Quod judicarius vigor gratis sit omnibus exhibendus.

*Idem Prelatis & clericis Lombardie.*

Lib. 1. epist.  
376.

**C**um ab omni specie mala præcipiat Apostolus abstinere, nos, qui, licet indigni, constituti sumus à Deo super gentes & regna, ut juxta verbum propheticum evellamus & destruamus, ædificemus & plantemus, summopere debemus sature quatinus evellamus vitia & plantemus virtutes, destruamus iniqua & ædificemus honesta, siveque nostra sollicitudine mediante prava transeant in directa & aspera vertantur in plana. Licet autem hujus nostræ sollicitudinis labor generaliter debeat ad omnes extendi, quia sapientibus sumus & insipientibus debitores, specialiter tamen ad clericos, qui dormire debent à virtutis, ut sint pennæ columbae deargentatae, ne quid in illis appareat quod obfuscet candorem ecclesiastica puritatis. Sanè ad audientiam apostolatus nostri multorum assertione pervenit quod cum ex delegatione nostra causas suscipitis pertractandas more secularium super decima litis, vel parte alia, pro diversa terrarum consuetu-

Tom. I.

dine, præter expensas virtualium, cum litigantibus receptis pignoribus pro salario conventis, quæ postmodum usque ad solutionem pecunia, non litigantibus etiam partibus, contenditis detinere, non attentes quod ad hoc vobis & aliis clericis sunt ecclesiastici redditus deputati ut ex ipsis honeste vivere debeatis, ne vos oporteat ad temporalia lucra manus extenderet vel ad iniqua munera oculos inclinare. Cum igitur opera vestra lucere debeant laici in exemplum, nec vos deceat instar secularium ad temporale compendium juris occasionem arripere, universitati vestrae præcipiendo mandamus quatinus ab hujusmodi exactionibus de cetero abstinentes vigorem judiciarium gratis studiatis litigantibus impertiri, non obstante quod in fraudem à quibusdam proponitur quod id exigatur nomine assessorum, cum nec justum judicium judici vendere liceat, & venales sententiae ipsis etiam secularibus legibus reprobentur.

## TITULUS XXX.

De sententia & re judicata.

*Idem Decano & Cancellario Laudunensi.*

**S**icut nobis vestris litteris intimasti, Lib. 1. epist.  
cum causa quæ inter H. Subdiaconum & V. Presbyterum super quinque frumenti modiis vertebar, qui dicebantur ipsi H. per annos singulos exsolviendi, ex delegatione nostra vobis commissa fuisset, & partibus in vestra præsentia constitutis idem H. restitutionem sibi fieri postularet, adversarius se ad hoc non teneri respondit, cum alia vice super hoc coram judice convenitus fuerit & sententialiter absolutus. quod ostendere voluit duorum testimonio sacerdotum, ex quorum depositionibus vobis constitutis quod magister A. ex parte venerabilis fratris nostri Episcopi Laudunensis V. Presbyterum per judicium absolvit ab imputatione Subdiaconi memorati. Verum quia testimonium eorum quasi nudè prolatum fuerat, ut de allegationibus & testibus quæ judicem movere solent ad sententiam proferendam nil se scire dixissent, variatum fuit inter jurisprudentes à quibus consilium postulantis, aliis afferentibus tale testimonium non valere, aliis sententibus quod valerer. Vnde in hac ambiguitate quid tenendum sit sedem duxistis apostolicam consulendam. Cum vero in pluribus locis, in quibus copia

EEe ij